



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia
Tetrastichis distincta**

Waterloop, Oliverius F.

Antverpiae, 1657

Titulus X. Turba, Solitudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9689

Quid animus est? paucis habe:
Res clausa parvo maxima,
Quæ nuda lucem Numinis
Caliginosam in se videt.

Externa cur spectas homo,
Formasque laudas corporum?
An non, quod interioribus
Caret animus spectaculis?

Nisi mens careret intimo
Sui & DEI spectaculo,
Abire nesciret foras
Ad corporum spectacula.

Mens occupata mentium
Cælestium spectaculo,
Nullis movetur corporum
Terrestrium spectaculis.

Mens pura lucem Numinis
In se velut speculo videt:
Quæ noctuis lux officit,
Oculum capacem recreat.

Memoria plena Numine,
Mens veritate fulgida,
Cor caritate fervidum,
Faciem repræsentant DEI.

Vis intimi memor boni,
Mentis quietæ claritas,
Et cordis ardor ignei,
Speculantur & sapiunt DEUM.

Veri bonique cum decus,
Speciemque cernes auream,
Læto micabit in sinu
Speculum futuræ gloriæ.

Quam cæcus ille est, ô DEUS,
Qui non tuis in operibus
Pulchram tui speciem videt,
Super opus omne amabilem!

Turba. Solitudo.

I. **V**T mentis in silentio
Æterna contemples, tibi
Te vindica, & tumultibus
Negotiorum subtrahe.

Adfuesce solitudini;
Silentio Numen cole;
Turbâ procul, domi sedes
Sedata mens, sedes DEI.

Quæ pulchra vulgus æstimat,
Oculis & auribus nega.
Tecum mane: serva domi;
Sat ampla, quæ grata est domus.

Te quando dura non rapit
Negotiorum vis foras,
Mane domi: excursus frequens
Est mentis indicium vagæ.

Silentii tranquillitas
Ad alta mentem provocat:
Sed hanc tumultus præpedit,
Ne se sibi ipsa vindicet.

Vis mentis est divinior,
Cum per fenestras sensuum
Haud evagatur: hanc alit
Nox, solitudo, silentium.

T Fuere

Fuere tellus, sidera
 Antonii magni liber:
 Hac mole, & illo pondere,
 Non edo, non edes libros.

Silentium, & latebras ama:
 Nemorum inter unus avia,
 Mapale molire; ut DEO,
 Secretus à turbis, vaces.

Et puritatis, & DEI
 Amore desertum pete;
 Solisq̄ue clausus in locis,
 Fuge vana mundi gaudia.

Sunt densa saltibus loca,
 Ambagibusq̄ue devia,
 Mundi remota motibus,
 Iucunda sitienti DEUM.

2. Te mente vulgo, non pede,
 Sed mente forti subtrahe.
 Homo solus, Angelus, aut pecus:
 Beatus, aut prorsus miser.

Tibi quidem ampla civitas
 Est solitudo: sed locis
 Si solus in solis lates,
 Oportet ut sis lex tibi.

Cibo refectis viribus
 Cellæ latebras defuge:
 Meridiani dæmonis
 Hic occuluntur machinæ.

Arcana solitudinis
 Sumptis recens dapibus, fuge:
 Hæc nondum adulto tempore
 Parum pudori congruunt.

3. Hominis latentis (qui prece
 Placare continuâ studet,
 Remotus à turbis, DEUM)
 Non est opella inutilis.

Non est inertis otium,
 DEO vacare: est arduo
 Dignum labore negotium,
 Negotiorum maximum.

Mens plena cordis & DEI,
 Solertiæ nec indiga,
 Plus una sæpè profuit,
 Quàm mille militum phalanx.

Vt cor ad omne liberum
 Serves opus, gratum licet;
 Pii recessus otium
 Abrampe, cùm pietas jubet.

Si turba te solum facit,
 Minorq̄ue de turbâ redis;
 Vbi solus es, non solus es:
 Vbi solus haud es, solus es.

Te si docet modestia
 Latère, prudenter lates:
 At si latère te patet,
 Stultè, vel incassum lates.

Vrbs ferreum dat sæculum;
 Fert sæculum rus aureum:
 In urbe factus ferreus,
 Iam rure fias aureus.

4. Arcana vis silentii
 In abditum vulgo locum
 Mentem mihi rapuit meam,
 Vbi verba defunt, & modus.

Hic

Illic potestas abdita
Divinioris Numinis
Repentè me circumdedit,
Quam nescit admiratio.

Errando nimirum meus
Eò volarat spiritus,
Quò nulla cogitatio,
Quò nulla mens pertingeret.

Nam fulgor ille mysticus
Vim sensuum prætervolat:
Hinc ergò mentis arceo,
Et ingenii satagentiam.

Te, quæso, sic in liberi
Immerge fundum spiritûs;
Negotiosoque otio
Da temporis vel horulam.

Hic increatam certius,
Caliginosi luminis
Obscura per vestigia,
Cernes beatitudinem.

Quin à nihil cor abstrahe;
Et illud offendes nihil,
Quod, lingua quamvis nesciat,
Sui relinquit symbola.

Hoc illa sola mens capit,
Quæ cum voluptatum dolis
Privata lucra negligit,
Et singulare commodum.

5. Æternus æternum Pater
Gignit quietus Filium:
Vterque producit pari
Parem quiete Spiritum.

Agit quiescendo DEUS;
Agens quiescit: hic idem
Loquitur silens; filet loquens,
Suique te vult æmulum.

Tu verba non solum DEI
Opusque; sed silentium
Quoque & quietem, quâ potes
Veneratione, suspice.

Quiescit, & filet DEUS:
Tui quies silentii
DEI quietem æqualiter
Honoret & silentium.

In luce pax, in pace lux,
Et caritatis veritas:
In pace lux, in luce pax,
Et veritatis caritas.

In luce mentis est quies,
Lux in quiete mentis est:
In veritate caritas,
In caritate veritas.

Sequere DEUM.

1. **T**E subde legi Numinis,
Teq; unus uni mancipa.
Ni feceris; mens inquires
Te prodet, & querulus dolor.

Vis cogitare, dicere,
Etiam patrare grandia?
Pare DEO: grande est opus
Parere; nullum grandius.

T 2

Mun-